



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXIV. Juxta exemplum Christi crucifixi oratio pro inimicis
facta, Deo est gratissima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO LXXXIV.

Juxta Exemplum Christi Crucifixi oratio
pro inimicis facta, Deo est gratissima

Exauditus est pro sua reverentia. Hebr. 5. 7.

1.

Ubi Jacob Patriarcha ex hac mortali vita ad meliorem migravit, metuentes filii ejus, ne fortasse Joseph Ægyptiorum Prorex memor pristinarum injuriarum, vindictam de ipsis sumeret, hanc demissam fecerunt, eique humiliter in manus porrexerunt supplicationem: *Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hac tibi verbis illius diceremus: Obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitia quam exercuerunt in te; nos quoque oramus, ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Joseph, veneruntque ad eum fratres sui: Et proni adorantes in terram dixerunt: Servi tui sumus, quibus ille respondit: Nolite timere &c;*

Gen. 50. 16.

Ego hodie ex parte Dei & hominis in cruce pendentis venio ad te, ô mi Christiane! rogaturus: *Obsecro ut obliviscaris quidquid hæcennis injuriarum à proximo tuo accepisti. Intuere crucifixum Dominum validâ voce inclamantem: Pater dimitte, & antequam moreretur, fideliter monentem: diligite inimicos vestros.* O quàm facilè, subintrat hic Escobar, inimicos amore prosequemur, si Jesu morientis, & pro inimicis orantis nobis objiciamus imaginem.

Escob. 1. 3.
Coll. Chr.
obf. 2.

2. Quærebat quondam Ezechiel Propheta ex parte Dei virum incontaminatum ac justissimum, qui interponeret sepem per orationem suam ac bona opera ad placandum DEum, ne omnem propter scelera admitta dispergeret terram: *Quasivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me, ne dissiparem eam, & non inveni.* Deo sunt laudes infinitæ; Vir ille inventus est sanctissimus, justissimus & incontaminatus. En hic pendet in ligno crucis pro salute hominum, imò & inimicorum, tanquam Mediator inter cælum & terram, & Advocatus DEum inter & hominem, hic sepem interponit, ne secundum

Ezechiel. 22.
30.

dum nostra demerita nos puniat divina Justitia; *Filioli mei hac scribo vo-* 1. Jo. 2. 1.
bis ut non peccetis. Sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem,
Jesum Christum justum, & ipse propitiatio est pro peccatis nostris; non pro no-
stris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Quid, obsecro, dulcius ac
magis consolatorium? Animemi! si haecenus lapsus es, non ideo de-
speres, quia adhuc apud Patrem amantissimum, qui non vult mor-
tem peccatoris, potentissimum habes advocatum, Christum Redem-
ptorem tuum, qui sanguinem, crucem, mortem ac passionem suam
adhuc hodie Patri pro tuis representat delictis, tibi que verè disposito
gratiam & veniam impetrat: Quasivi virum, qui interponeret sepem, &
esse inveni.

3. Inter omnes oblationes DEO T. O. M. quondam praesentatas,
 nihil magis illi placuit, quam suavissimum thymiama. Exposuit hoc
 Moyses jam Mundo valedicens, & Israeli benedicens; unde in gra-
 vissimis causis semper DEO thymiama offerri voluit, ut ejus fragran-
 tia iratum Dei mitigaretur pectus, sedareturque indignatio & ira pro-
 pter peccata populi commota: *Ponent thymiama in furore tuo, & holocau-* Deut. 33. 10.
stum super altare tuum. Umbram audisti, mysterium accipe.

Pendet Jesus tuus, amor tuus, nunc cum Moysè valedicens mun-
 do, in infami crucis patibulo, plenus vulneribus, ac saturatus oppro-
 briis; & quid offert pro tua, omniumque salute nisi suavissimum thy-
 miama: *Pater, dimitte illis.* Quod solum cor Patris mitigare, & ad Luc. 23. 33.
 commiserationem flectere poterat; Erat enim jam parata vindicta in
 universos peccatores terrae: Terra mota est, sol obscuratus, petrae
 scissae, monumenta aperta, & omnia elementa quaerebant, & urge-
 bant vindictam. Et quid crucifixus Dominus: *Pater; dimitte illis, O* De Lanuza.
 suavissimum thymiama! De Lanuza Episcopus Barbastrensis sic Fili- disc. 2. Pasch.
 um Dei crucifixum ad Patrem loquentem introducit: *Vide, o Pater!*
manus meas, pedes meos, latusque meum; Ecce thymiama pono in furore tuo,
quo contra peccatorem excandescis, ut ejus fragrantia furor ille tuus justè commo-
tus temperetur. Dixit, & impetravit, & exauditus est pro sua reverentia.

4. Placent exempla Sanctorum Christum crucifixum in hoc in- Vita SS.
 signiter imitantium? S. Thomas Ap. pro salute inimicorum & con-
 versione Gentilium ante crucem humiliter orans, ab impiis sacrificulis
 sagittis primùm, tum crudeli lancea occisus est, & sic Calaminæ Apo-
 stolatus honorem martyrii coronâ decoravit. S. Jacobus Apostolus &
 Episcopus Jerosolymitanus ab impiis Judæis è templi pinnaculo detur-
 batus, & nunc morti proximus, pro suis inimicis impensissimè in suo
 agone oravit: Confractis cruribus, jacens semivivus, manus tendens
 in caelum DEum pro eorum salute deprecabatur his verbis: *Ignosce eis*

- Domine, quia nesciunt quid faciunt; qua in oratione graviter ejus capite fullonis fuste percusso, animam DEO reddidit. S. Stephanus orans pro inimicis genua humi posuit, & lapidibus obrutus, magna voce clamavit: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Sic primus post Christum crucifixum congruenter nomini suo martyrii palmâ & coronâ insignitus est. S. Paulus Ap. charitate Stephani conversus, eam animo imbibit, & vitâ expressit: Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Moyses sæpius DEum supplicabat pro ingrato Hebræorum populo, qui eum impetebat lapidibus: Cùmque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos veller opprimere, apparuit gloria Domini super tectum sœderis cunctis filiis Israel. David pro Saule qui vitæ suæ toties insidiatus est, non oravit tantum, sed & injurias magno animo ei condonavit, & pro malo illo benefecit: Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo. Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, qui Christus Domini est. Quod Christus non solum docuit: Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est. Et iterum in alio loco: Benedicite maledicentibus vos, & orate pro calumniantibus vos. Sed & ipse abunde fecit, dum in cruce inter summas angustias pro suis inimicis oravit: Pater, dimitte illis. Ubi bene observandum, quod tunc cœli portæ, quæ 5000. annis clausæ erant, per illa Christi verba: Pater, dimitte illis, fuerint apertæ, ac reſeratæ, quia mox ad latronem pœnitentem dixit: Hodie mecum eris in paradiso.*
5. Quando Christus in Jordanis flumine à Præcurſore suo baptizatus est, æterni Patris vox & testimonium auditum est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Item dum in monte Thaboræo transfiguratus est, eadem Patris vox de cœlo intonuit: *Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Cùm autem in Calvario monte penderet in infami crucis patibulo ab omnibus desertus, irrisus, ac toto corpore plagatus, nulla amplius vox de cœlo rediit: *Hic est Filius meus dilectus.* Et quare hoc? R. Escobar: *Audiens, inquit, Centurio Christum pro crucifixoribus orare: Pater ignosce illis, inquit: Verè hic homo Filius Dei erat. Ecce Centurio ille publicè Christum. ut dilectum Patris Filium confessus est; non erat proinde opus, ut Pater æternus de novo hoc confirmaret, quia miracula in morte Christi, & infinitus amor, quo nos suos diligebat inimicos, Filium Dei satis demonstrarunt: Quia inimicis benefacere, ait citatus Escobar, non est quo capite est homo quodammodo profluit, sed ex Deitate.* Et impetravit, ait S. Hieronymus, quod petierat Christus, multaque statim millia crediderunt, & usque ad quadragesimum secundum annum datum est tempus
- Act 7. 59.
1. Cor. 4. 12.
Num. 14. 10.
1. Reg. 24. 7.
Matth. 5. 45
Luc. 6. 28.
Luc. 23. 42.
Matth. 3. 17.
Matth. 17. 5.
Marc. 15. 39.
Escob. tr. 3.
Colloq. Chr.
1. 7. obf. 1.
S. Hieron. ad
Hebidiamq. 8.

pus poenitentia. O anime mi! observa: *Deus ultionum Dominus*, non *Psal. 93. 1.*
sumus nos domini ultionum. Proinde te in omnibus humilia, & ex
toto ac sincero corde juxta exemplum mitissimi Salvatoris tui proxi-
mo ignosce, ac pro ejus salute exora.

6. Testem tibi sisto Serenissimam Hassiæ Principem, ac Regis *Montanus in*
Hungariæ filiam S. Elisabetham, extremis quondam calumniis, inju- *Vita.*
riis ac opprobriis post pii mariti obitum à provinciæ proceribus, imò
& propriis subditis affectam, expulsam & rejectam, quas tamen om-
nes calamitates ab inimicis sibi illatas, æquissimo animo sustinuit, &
inimicis suis fideliter, ut DEUS illis ignosceret, oravit. Placuit sum-
moperè divinæ Bonitati hæc oratio, unde ex divino responso accepit:
Nunquam eam orationibus suis sic DEO placuisse, ac tunc, quando
tam ardenti zelo pro suorum salute inimicorum ad DEum oravit.
Claudo cum S. Chrystomo: *Non est possibile, quòd homo, qui dimiserit* *S. Chrystom.*
proximo, non plenam remissionem assequatur. Incomparabiliter magis mi- *hom. 36. in*
sericors est DEUS, quàm nos. *Acta.*



CONSIDERATIO LXXXV.

Crucifixo JESU super dolorem vulnerum ejus addiderunt blasphemantium linguæ: Et adhuc addunt.

*Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita
sua. Matth. 27. 39.*

I.

JOb vir dolorum, ac typus Christi non tam de plagis ac doloribus
suis, quàm de linguis blasphemantium, quæ certatim in eum in-
sterquilinio sedentem irruebant, conquestus est, unde præ dolore
animi exclamavit: *Usquequò affligitis animam meam, & atteritis me* *Job. 19. 2.*
sermonibus?
Job, inquam, figura fuit patientis Christi, quem in cruce pen-
itentem impij blasphemabant Judæi, ubi positus erat quasi signum & meta